# ORATIONES
## DICENDÆ CUM SACERDOS INDUITUR SACERDOTALIBUS PARAMENTIS

Cum lavat manus, dicat:

D**a**, Dómine, virtútem mánibus meis ad abstergéndam omnem máculam; ut sine pollutióne mentis et córporis váleam tibi servíre.

Ad Amictum, dum ponitur super caput, dicat:

I**mpóne**, Dómine, cápiti meo gáleam salútis, ad expugnándos diabólicos incúrsus.

Ad Albam, cum ea induitur:

D**eálba** me, Dómine, et munda cor meum; ut, in Sánguine Agni dealbátus, gáudiis pérfruar sempitérnis.

Ad Cingulum, dum se cingit:

P**ræcínge** me, Dómine, cíngulo puritátis, et exstíngue in lumbis meis humórem libídinis; ut máneat in me virtus continéntiæ et castitátis.

Ad Manipulum, dum imponitur brachio sinistro:

M**érear**, Dómine, portáre manípulum fletus et dolóris; ut cum exsultatióne recípiam mercédem labóris.

Ad Stolam, dum imponitur collo:

R**edde** mihi, Dómine, stolam immortalitátis, quam pérdidi in prævaricatióne primi paréntis: et, quamvis indígnus accédo ad tuum sacrum mystérium, mérear tamen gáudium sempitérnum.

Ad Casulam, cum assumitur:

D**ómine**, qui dixísti: Jugum meum suáve est et onus meum leve: fac, ut istud portáre sic váleam, quod cónsequar tuam grátiam. Amen.